

www.e-rara.ch

Joh. Ludovici Fabricicii Opera omnia

Fabricius, Johann Ludwig

Tiguri, a. 1698

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13320>

Disputatio theologica de baptismi ministro.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISPUTATIO THEOLOGICA

QUA

DISQUIRITUR;

Utrum controversia, de Baptismo per Hominem Privatam aut Mulierem in casu necessitatis administrato, ad capita Fidei, an ad Quæstiones de *juræxiæ* pertineat.

THEOPHILUS.

Miror, mi Eubule, quòd, ne quidem in casu necessitatis, Baptismum à Laicis aut mulieribus administrari permittitis, & si administratus sit, repetendum, vel potius, cum eum pro nullo habeatis, postmodum conferendum esse, pertenditis.

EUB. Certè, mi Theophile, si in memoriam Tibi revoces, quæ de natura ac necessitate Sacramentorum, & speciatim Baptismi, jam nuper inter nos collata sunt, non mirum videbitur, quòd in hanc sententiam concesserimus. Baptismi virtutem non à Ministro, sed à Deo dependere vobiscum docemus; existimamus autem ab Aliis administrandum non esse, præterquam ab iis, quibus id munus à Deo commissum est. *Docemus igitur Confess. Helvet. cap. 20. sub finem in Ecclesia Baptismum administrari non debere à mulierculis vel ab obstetricibus. Paulus enim removit mulierculas ab officiis Ecclesiasticis. Baptismus autem pertinet ad officia Ecclesiastica.* Quæ in re si quid fortè hallucinaremur; id neque infantulis, neque Eorum Parentibus damno esset. Cum enim non privatio sed contemptus Sacramentorum damnet, si maximè, ob absentiam Ministri Ecclesiæ, infans Baptismum recipere non posset, palàm est, id æternæ Ipsius salutis minimè obstare. Neque enim omissio ista fit ex Divini mandati contemtionem, aut negligentiam, quæ contemptui possit æquiparari; sed optimo animo, & si quid hinc erremus, ex nimia potiùs veneratione & diligentiori atque scrupulosiori observantia illius ordinis, quem à Deo præscriptum esse arbitramur. Unde fit, ut Sanctum istud opus in Domo Dei peragendum nemini audeamus concedere, præterquam illis, quos Ipse Dominus mysteriorum suorum dispensatores constituit.

Ai'n verò. Quòd si fortè aqua non adefset; An putas tibi integrum fore, ejus loco alium aliquem liquorem in Baptismo substituere?

TH. Non puto, neque hac in re ad stipulor non nemini Vestrum; *Beza Epist. 2.*

Epist. 2. ad Tiliam. qui, si Baptismus alicujus cum ædificatione differri neque possit, neque debeat, istiusmodi substitutionem admisit.

EUB. Rectè nam neque nos sententiæ isti subscribimus, sed idem prorsus vobiscum docemus, de quo aliàs. Convenit igitur inter nos, quantamcunque Baptismi necessitatem statuatis, si aqua deficiat, neque vino, neque lacte, neque lustrali quocunque alio liquore utendum, sed ipsam potius Sacramenti administrationem omittendam esse. Pari modo & nos existimamus, si Minister ad Ecclesiastica hujusmodi munia vocatus non adfit, obstetriculas aliàsve mulierculas aut quemcunque ex plebe hominem ad sacras hæc functiones obeundas accersi non debere. Porrò, mi Theophile, si quis apud Vos in extremo mortis agone constitutus sacramentalem corporis & Sanguinis Servatoris sui communionem, quamvis summo cum desiderio expetat, Ecclesiæ verò Minister nullus adfit, dic, fodes, an mulierculæ aut privato homini conceditis, ut moribundo cæleste illud viaticum conferat?

TH. Vix ac ne vix quidem. Verùm alia est Baptismi, alia Sacræ Coenæ ratio.

EUB. Imò diversitas hîc nulla excogitari potest. Nam quæ à *Baptismi* Necessitate peti solet, ea jam nuperâ inter nos disquisitione penitus est exclusa. Saltem fatendum Tibi est, quòd, quemadmodum ex sententiâ illa, quam de Sacræ Coenæ Administro nobiscum communem habetis, minimè consequitur, Sacramentum istud, licet ob absentiam Ministri prorsus intermittatur, à vobis contemni, ita neque nostra consimilis planè Doctrina de solis Ecclesiæ Ministris ad Baptismi collationem adhibendis, de hujus Sacramenti dignitate aut æstimatione quicquam detrahat. Quin potius inde conficitur, nos sanctissimam hanc functionem reverentiùs habere, quàm ut eam cuivis obstetriculæ committendam esse censeamus. Ac proinde, cum jam inter nos confessum sit, Sacramentorum non privationem sed Solum contemptum damnare, hoc saltem mihi dabis, ex nostra doctrina salutis periculum nullum oriri posse.

TH. Multas equidem easque acerrimas de Sacramentorum Ministris audivi disputationes, sed quibus, ut ingenuè dicam, animo meo haudquaquam est satisfactum, adeò ut tandem suspicatus fuerim, totam istam disceptationem hypothesi alicui falsæ inniti, vel saltem certo atque evidenti principio destitutam esse.

EUB. Non malè coniecisti. Nimirum qui de hac materia adeò intemperanter & immodicè disputant, ut plurimum sibi imaginantur eam ad principale fidei negotium pertinere, cum tamen non nisi inter quæstiones de externa Ecclesiæ politia & ἐκτροχία referri debeat.

TH. Quis sic?

EUB. Nimirum Divina Lex est, ut omnia ordine fiant. Nunc autem ratio ordinis in eo maximè consistit, ut quivis officio sibi commissio fungatur. Dum igitur in nostris Ecclesiis cuivis viro commissum non est, multò minus

mulieri, ut Sacramenta administret: existimamus ipsis fas non esse, ut munus istuc ad se rapiat. Si quis Vir autem ab Ecclesia ad hunc actum peragendum ritè constituitur, jam ille, si eum peragat, nihil præter officium faciet, neque bonum ordinem turbabit.

TH. Videtur hæc privata Tua esse opinio, non verò communis Theologorum Vestrorum doctrina.

EUB. Imò non aliud habent principium, ex quò quaestiones circa hanc materiam decident.

TH. Cedò Testes.

EUB. En primò *Zanchium*, qui singularem circa hanc rem proponit casum, eumque ex hoc solùm principio resolvit. *Esto, inquit, Comment in Cap. V. ad Eph. loco Theol. secundo, Laicus aliquis in regione unde facîle ad Christianas Ecclesias venire non possit: is ex lectione Novi Testamenti donetur cognitione Christi & fide: doceat verò suam familiam, eamque ad Christum convertat, atque adeò etiam alios. Queritur, An possit baptizare Eos, quos ad Christum convertit, cum Ipse nunquam fuerit baptisatus aquâ? Respondet Zanchius; se non dubitare quin possit, & vicissim curare, ut ipse ab alio ex illis à se conversis baptisetur. Rationem addit; eoque ut talis Minister potest cum illius Ecclesiae consensu Symmytam constituere, & a eo ut baptisetur curare.*

Vides quaestionis hujus decisionem peti à solo Ecclesiae consensu & mandato, quod vocationem dicimus.

TH. Animadverti in multis ad praxin pertinentibus materiis non solùm Vestros, sed & Nostros Venerabilis Vestri Bezae judicium sequi. Quid Ille igitur?

EUB. Si rectè memini, argumentum hoc Ille fusiùs pertractavit in *Quest. & Respon. suis. Ad manus est libellus iste. Evolvamus. Ecce, parte hac secunda, quest. 156. & seqq.*

TH. Legamus.

EUB. Prælegam clarâ voce. *Quorumnam est baptisandi munus? R. Eorum certè, quibus administrandi verbi cura mandata est. Sunt enim Sacramenta quasi verbi tabulis appensa sigilla, & hæc duo conjunxit Christus Apostolos suos mittens, & Baptismi formam præscribens. Baptismus cum sit merè Ecclesiastici ministerii pars altera, à solis legitime vocatis Ministris ritè administratur. Quest. Num Papisticos sive Episcopos sive Presbyteros legitime vocatos credis? R. Nihil minùs, ne ex ipsorum quidem Canonibus, alioqui non ad odium puris. Quest. De Baptismo igitur à privatis vel ministerio Verbi non fungentibus personis administrato quid censet? R. Non pluris faciendum quàm id quod Regis vel Reipublicæ nomine privatus quissiam pro libito gereret: Aut quàm sigillum ad publici imitationem à privato quopiam effictum & cupiam instrumento appensum: Aut quàm fabula. Quest. Multo*

minis ergo Baptismum per ludum, vel ab obstetricibus administratum probabis?
 R. Apagè verò crassam & putidam hanc Sacri ministerii profanationem. Quæst.
 Sed Nonne pari loco & gradu censendæ sunt privatæ personæ & non legitime vocatæ?
 Quod si verum est, irritus sanè fuerit Baptismus à Papistici sacrificiis, administratus.
 R. Hic me non pigebit ex Jurisconsultis mutuari quod ad banc rem maxime facit:
 Vitium aut est in persona, aut in re, aut in utroque. In persona, ut quum vitio crea-
 tus est Magistratus, qui tamen, auctore, Varrone, Magistratus est; Jurisconsulti
 verò subtilius distinguunt inter eum qui Magistratus est (legitimus videlicet) & eum
 qui est in Magistratu: Ut cum disputant, aliud esse, Proconsulem esse, quam in pro-
 consulatu: Aliud esse Prætozem, quam Prætura fungi, ut de Barbario Philippo tra-
 ditur: Aliud tutorem esse, quam tutela fungi: Adeo ut interdum, qui Magistratus
 est, putà si sit furiosus, sit quidem Magistratus, Magistratu verò fungi non possit.
 Vitium in actu est, quum ritè gestus non fuit, iis nimirum prætermisissis, quæ sunt de ip-
 sius actus naturâ. Jam in Baptismo Papistico vitium non est in actu, in quo præci-
 pua illa formula observata est, cui non præjudicant aliena & supervacanea. At in
 persona vitium est: sunt enim παραπισκοποι & παραπροβυτεγοι. Sed istud vitium
 non potest actum ledere. Nam (ut ad nostros Theologos propius accedam) qui non
 sunt legitime ad ministerium vocati & tamen in cathedra ministerii sedent. ALI-
 QUO HOMINUM (quamvis deceptorum) CONSENSU, etsi, quod ad perso-
 nas ipsas attinet, veri Pastores non sunt, tamen alio loco sunt habendi, quam qui
 nullam neque legitimam, neque illegitimam vocationem habent. Sic Caiphas non
 erat quidem legitimus Pontifex Maximus, ut qui pecuniâ datâ Pontificatum invasisset,
 sed tamen in Pontificatus cathedra sedens, quamvis inscius, prophetiam edit.
 Et coram hoc sedente Pontifice Dominus Templum adit, & divinos nondum aboli-
 tos ritus observat. Sic Pharisei, qui quatenus in cathedra Moïsi sedebant, audiri
 jubentur, quam tamen cathedram illorum plerique ambitione & malis artibus occu-
 pârunt. Sic rata sunt, quæ Magistratus aliquis habitus decernit, etiamsi malis ar-
 tibus eò fuerit proventus, quod Barbario cuidam Philippo servo, & tamen per er-
 rorem Prætori Romæ creato, accidisse constat. Denique vitiosa vocatio conscientiam
 ejus ledit, qui munus illud invasit, sed ea non vitiat, quæ ab eo perinde aguntur ac si
 legitime esset vocatus.

TH. Agnosco quæ dixisti; Bezam nempe solutionem Quæstorum circa
 hanc materiem, ex ratione ORDINIS in Ecclesia externa constituti, tum ex
 civilis prudentiæ fontibus, & Jurisconsultorum placitis petiisse.

EUB. Secutæ sunt eum Ecclesiæ Reformatæ in Gallis. Inspiciamus hanc,
 Earum, ut vocant *Disciplinam*, id est, Ecclesiasticas constitutiones. Lege
 Capituli XI. tres primos articulos cum decisionibus margini adjectis. Placuit Ipsi, ut
 Baptismus ab eo, qui vocationem non habet collatus pro nullo habeatur, ne-
 que fas sit vel à Theologiæ Doctore & Professore Baptismum administrari:
 unde, cum, utut doctilimus Ministerii Candidatus, sed necdum ad munus
 Eccle-

Ecclesiæ vocatus, infantulum baptisâisset, ex Pictaviensis & Gapensis Synodi decreto postea ab ordinario Ministro baptisandus fuit. Quare & Rupellensis synodus statuit, ut si qui à Pontificiis ad nos accesserint, etiamsi jam multis annis religionem nostram fuerint professi, & ad senilem ætatem pervenerint, tamen, si postmodum comperiat, Eos non nisi ab obstetricibus baptisatos esse, à Ministro ordinario baptisari debere, cum prior ille Baptismus censeatur nullus esse.

TH. Quid de Baptismo statuunt, quem Pastor ab officio depositus, presente & postulante Ecclesia, administravit?

EUB. Opportunissimè hoc ex me quæris: Inde enim manifestissimè patet, Eos in hac re non nisi ad externam Politiam respexisse. Distinctionem nempe adhibent. Quod si, inquit, à sententia depositionis ad synodum Nationalem appellaverit Pastor, Baptismus ratus erit, neque iterandus, sed Ipse nihilominus excommunicandus, eò, quod ausus fuerit istiusmodi actum sacramentalem exercere. Quod si verò non appellaverit ille nullus esto.

TH. Ergò, ut Sacramentum hoc à Christo institutum, vel validum sit vel invalidum, ab eo dependet, an ad Nationalem synodum appellatum fuerit, necne?

EUB. Ita videtur. Dum autem hæc adeò rigidè constituerunt atque etiamnum observant, Baptismum nihilominus à quocunque Sacerdote sive Presbytero Pontificio collatum validum & ratum habent, neque iterari volunt. Novi Celebrem quendam Theologum, qui triginta abhinc annis ad verbum Dei Latino sermone pro Academica cathedra prædicandum solemnissimè fuit evocatus, quique toto eo tempore præclaris suis institutionibus & sacris concionibus, quas prælectiones vocant, vel sexcentos Pastores ad Ministerium obeundum efformavit, Hic si quempiam baptisaret, Baptismus, juxta memoratas modò constitutiones, omninò nullus foret, qui ipse tamen validus esset, si ab infimæ sortis sacrificulo aut Diacono Romanensi administraretur. Ita pone Ministerii, quem vocant, Candidatum, pietate, eruditione aliisque dotibus sufficienter instructum, quique jam multos per annos verbum Dei publicè docuerit, Pastorúmque Ordinariorum vices obierit, sed qui ad sacros ritus peragendos nondum sit inauguratus, Hic infantulum baptisaret, Baptismus nullus est. Quod si verò hac ipsa hora inauguraretur baptismus, quem è vestigio administrabit, validus erit.

Theoph. An idem cum Beza & Gallicis vestris Ecclesiis his sentium omnes alii Theologi Vestri?

Eub. Contraria est Ecclesiæ Anglicanæ praxis, quæ, licet Beza in Epistola ad Londinensem Episcopum Grindallum quàm acerbissimè in eam invectus fuerit, immota tamen perviguit, ut Baptismus istiusmodi pro valido habeatur. *Casaubonus* ad Perronium Cardinalem ad *Epist. Card. Perron. Respons. Lond. 1612.*

P 19. de Serenissimo suo Rege Jacobo ; *Laicorum Baptismum aut Fœminarum , ut fieri legibus suis vetat , sic factum ex legitima formula quodam modo non improbat, Baptismum esse pronuntians , etsi non legitime administratum.*

Hanc praxin *Abotus* defendit in prælectionibus suis, & Celeberrimus inter Belgas Theologus *Gisbertus Voetius* à Gallicarum Ecclesiarum placitis hac in re discedit. Nihilominus tamen , Hi ipsi sententiam suam , non nisi argumentis ab externo ordine petitis conantur defendere. Ita *Voetius Polit Eccles. part. I. l. 2. tract. e 2. de administr. Baptif. c. 1. quæst. II.* ad quæstionem ; *An Baptismus absque scrupulo recipiendus sit à Professore Theologia ?* respondet affirmativè Addit rationem quæ simul & cautio est : *siquidem in & ab Ecclesia aliqua Potestas ordinariò aut extraordinariò in casu defectus predicandi & Sacramenta administrandi collata ipsi aut concessa sit.* Porro quærit ; *An à seniore Gubernante , aut Prælectore , aut Ægrotorum Consolatore , aut publico Catechista , aut Ministerii Candidato seu Proponente Baptismus petendus sit , & si collatus , an aliqua ratione valeat , ita ut non sit iterandus ?* Respondet distributè. Prius equidem negandum , propter violationem recepti ordinis. Quantum verò ad posteriorem quæsitam partem. se in affirmativam sententiam inclinare , siquidem *non sine mandato , consensu & præsentia presbyterii collatus sit* Quicquid autem cuncti Hi vel senserint vel statuerint , certum est ex his omnibus , illarum opinionum , constitutionem atque observationum principium unicè pendere à ratione ORDINIS atque ECCLESIASTICÆ POLITIÆ , ut scilicet quisque in externa ista societate demandatas sibi partes obeat , neque alienas sibi arroget.

TH. Non opus est pluribus. Verùm hæc ipsa me movent , ut credam majorem habendam esse rationem ipsius Baptismi , quàm illius ordinis quem constituitis , ut , si alterutrum necesse sit negligere , præstet negligere ordinem istum , quàm Baptismum.

EUB. Memineris , mi Theophile , ejus quod ipse paulò antè concessisti : præstare ut Sacra Coena omittatur quàm ut ab eo administraretur , qui vocationem non habet.

TH. Saltem igitur iniquè agitis , quòd Baptismum à Laicis & Mulierculis in nostris Ecclesiis administratum damnatis , eumque pro nullo habetis. In iis enim , quæ ad solam politiam pertinent , unaquæque Ecclesia suo judicio utitur , neque ab aliis damnari debet. At Beza vester in hoc argumento adeò vehementer in nos debacchatur , ut credas de summa Christianæ religionis agi.

EUB. Bona verba quæso. Audivimus ejus sententiam ; si quæ acriùs dixit , dixit studio *euclæticæ* , & ne tam augustum Sacramentum obstetricularum ministerio vilescat. Cæterum jam hoc non ago , ut omnia Bezae responsa defendamus. Confessiones nostræ super istiusmodi quæstionibus neminem damnant. Audivisti , quàm placidè & moderatè hac de re loquatur *Helvetica Confessio* ;

fit; quæ ipsa tamen eodem in loco, ubi Anabaptistarum errores memorat, quàm vehementissima locutione utitur. *Damnamus*, inquit, *Anabaptistas*. Non itidem dicit; *Damnamus Eos, qui docent posse certis de causis Baptismum ab aliis quàm ordinariis Ministris celebrari*. Cæteræ verò confessiones aut libri symbolici hanc quæstionem prorsus omittunt, tanquam eam, quæ non ad fidei substantiam, sed ad *evrosæiæ*, ut diximus, pertinet, quarum rerum longè diversa est ratio. Nam ut rectè monuisti, Ecclesiæ diversum in hisce morem observantes non facillè damnandæ sunt.

TH. Tu quidem pro solita animi Tui moderatione ita judicas, sed non eadem mens Aliis Tuis Fratribus.

EUB. Quin *Voetium* iterum audiamus, Theologum, ut nosti, austerissimum, ac rigidissimæ religionis, qui auribus, quod ajunt, nihil unquam dedit. Is quæstionem movet; *An qui in infantia à Viris privatis aut à Fœminis in communione Ecclesiæ Romanæ baptisati sunt, in nostris Ecclesiis talem Baptismum improbantibus de novo baptisari debeant?* Respondet *Bezæ* & qui Eum sequuntur, videri id affirmare; sed addit, *se dubitare, an æquè affirmaturi essent debaptisatis incommunione Ecclesiæ Lutherane*. Rationem subjicit, *quia fœmina illæ non tantùm in communione fidei & Ecclesiæ istius, sed insuper ex delegatione & speciali mandato (in casu scilicet necessitatis) ejusdem Ecclesiæ baptisaverint*. Quam suam ratiocinationem pluribus argumentis confirmat, & ipsam *Bezæ* distinctionem proposito suo adhibet, inter vitium in ipso *actu Baptismatis*, & inter vitium in *persona baptisantis*.

TH. Quid huic facit distinctio ista?

EUB. Nempe, vitium essentialè, quod inest ipsi actui Baptismi, Baptismum tollit, vitium verò aut defectus in Baptisantis persona Sacramenti hujus naturam non evertit. *Beza* & nos omnes contra Anabaptistas asserimus, Baptismum in medio Papatu à quibuscunque vulgaribus sacerdotibus missaticis aut Diaconis administratum, validum, neque à nobis iterandum esse. Et tamen *Beza* Ministros illos Idololatricos vocat & Antichristianos, eorumque vocationem illegitimam putat, præterea ipsam totam illius Ecclesiæ doctrinam & particularem Baptismum multis magnisque erroribus & superstitionis ritibus corruptissimum esse docet. Quæ omnia cum non impediunt quòd minùs Baptismus ille validus sit, ex eo tantùm, quòd *formula ejus essentialis ibi salva remanserit, & persona baptisans aliquam habuevit in casu necessitatis vocationem*; non videt *Voetius*, quomodo dici possit, Baptismum à Lutherano Laico aut muliere, casu isto, administratum nullum esse.

TH. At quænam Vestrarum in Germania Ecclesiarum hac in re praxis aut consuetudo?

EUB. Certè non memini in Eos, qui in Vestra aut Pontificiorum Ecclesia baptisati sunt, hęc regionum unquam fuisse inquisitum, an à Laicis aut mu-

lieribus Baptismum acceperint necne: adeoque vix crediderim, si quis infans à muliere apud Vos baptisatus fuerit, ac postea adultus nomen suum in nostra Ecclesia profiteatur, Eum à nobis iri rebaptisatum. Id ne fando quidem hinc est auditum.

TH. At quænam hujus rei ratio?

EUB. Ratio manifesta est, petita ex principio ordinis in singulis Ecclesiis stabiliti. Nimirum, ut iterum *Voetii* verbis utar, in Ecclesia Pontificia & Lutherana, ALIQUO HOMINUM CONSENSU Viri & Fœminæ extraordinariò in tali necessitatis casu potestatem habent & vocationem, quamvis illegitimam ad baptisandum: ideoque alio loco sunt habendi, quàm qui nullam neque legitimam neque illegitimam vocationem habent.

TH. Atqui tales sunt Fœminæ in Ecclesiis Vestris, quibus omnis illa potestas exercè communi Vestra doctrina & prohibitione negatur.

EUB. Fateor. Hinc idem Theologus infert, ablutionem, quam fœminæ in Ecclesia nostra conficere presumerent, nihil magis ad Baptismum facere, quàm ordinariam aliam aliquam & quotidianam la vationem.

TH. Ergò Baptismus in casu necessitatis à nostris mulieribus administratus validus esset; à Vestris, nullus.

EUB. Id tibi *Voetius* Noster nullo negotio largietur. Neque hoc mirum. Cedò; An baptismus ab Antitrinitario administratus validus est nec ne?

TH. Ex Nostris, *Hunnio* scilicet *disp. Marp. 12.* & *Baldui. Cas. Conf. l. 2. cap. 6. cas. 7.* didici distinguendum esse. Si Antitrinitarius in Ecclesia Antitrinitaria baptiset, Baptismus est nullus; si in orthodoxa, est validus.

EUB. Atqui idem homo est, qui baptifat, eandemque hæresin tenet. Quænam igitur subest ratio hujus discriminis? Ediffere.

TH. Quia non ad Ministrum primariò respicitur, sed ad Ecclesiam, cujus nomine & mandato hunc actum perficit. Est enim Baptismus, ut *Balduini* verbis utar, *Donum non Ministri, sed Ecclesie.* Quòd si igitur, Ecclesia in qua Baptismus ab Antitrinitario administratur, sit orthodoxa, Baptismus validus censetur; sin in Antitrinitaria, quæ fidei substantiam negat, habebitur pro nullo.

EUB. Discrimen itaque petitur non à qualitate personæ, quæ baptifat, sed à potestate & conditione Ecclesiæ, quæ mandat. Ne igitur mirum Tibi videatur, quod *Voetius* concessit: Laicum aut mulierem, si ab Ecclesia mandatum non habeat, nihil agere; sin, videri id quod agit, etiamsi fortè illegitimum, validum tamen esse.

TH. Ecquænam circa hanc rem fuit veteris Ecclesiæ sententiã aut consuetudo?

EUB. Varia, ut in istiusmodi rebus usu venire solet. Omitto quæ ab *Epiphanio* disputata, neque velim quæ ab Aliis collecta sunt hinc repetere. Duo tan-

tantum dicta afferam, ex quibus pateſcat, Priscos etiam Eccleſia Scriptores non aliud in hac materie principium tenuiſſe, quam quod ab ordinata munerum Eccleſiaſticorum diſtributione accerſitur. Primò audiamus Auguſtinum; contra *Epist. Parmen. lib. 2. cap. 13.* Is cum de Laico locutus eſſet, qui neceſſitate id poſtulate baptiſmum contulerit, ſubjungit; *Nescio an piè quis dixerit, id quod dedit (Baptiſmum) eſſe repetendum. Nulla enim cogente neceſſitate ſi fiat, ALIENI MUNERIS EST, ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullam aut veniale delictum eſt. Sed & ſi nulla neceſſitate uſurpetur, & à quolibet cuiſlibet detur; quod datum fuerit, non poteſt dici non datum, quamvis rectè dici poſſit illicitè datum. Illicitam ergo USURPATIONEM corrigit remiſcentis & pœnitentis affectus. Quod ſi non correxerit, manebit ad pœnam USURPATORIS quod datum eſt, vel Ejus qui illicitè dedit, vel Ejus qui illicitè accepit, non tamen pro non dato habebitur.* Alterum teſtimonium quod hue facit, eſt *Autoris Commentar. in Epistol. Pauli,* quos Tom. V. Operum Ambroſii reperiſ, ſive is ſit ipſe Ambroſius, ſive Hilaris Diaconus Romanus, Damasi æqualis, ſive tandem Remigius Lugdunenſis. Id enim nobis perinde eſt, quandoquidem Eum non ut Doctorem, ſed ut Historicum adducimus. *Ut creſceret, inquit, Comment in cap. 4. ad Ephes plebs & multiplicaretur, omnibus inter iniria conceſſum eſt, & Evangelizare, & Baptiſare, & Scripturas in Eccleſia explanare. Ubi autem omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, Cœtus conſtituti ſunt, & Rectores & COETERA OFFICIA IN ECCLESIA SUNT ORDINATA, ut nullus de Clero auderet, qui ordinatus non eſſet, PRÆSUMERE OFFICIUM, QUOD SCIRET SIBI NON CREDITUM VEL CONCESSUM. HINC igitur eſt quod nunc neque Diaconi in populo prædicant, neque Clerici (non ordinati) vel Laici baptiſant.* Aud'in, quò Scriptor hic referat originem hujus conſuetudinis. Atque hinc videas, non adèò mirum eſſe, quòd Theologus inter Noſtros ſummus olim docuit, non validum tantum, ſed & licitum eſſe Baptiſmum à quovis Homine adminiſtratum. *Evolveamus Zwinglii operum Tomum ſecundum. En tractatum de Baptiſmo, quem celebratiſſimi nominis Gualtherus Latinitate donavit. Adverſus Catabaptiſtas hic diſputat. Legamus iſta quæ notavi. O miſeri homines & Judæis longè infeliciores, qui adhuc mundi hujus elementis tam mordicis inheretis! An ignoratis, quanto cum ſtudio & diligentia Paulus ad Col. 2. moneat, ne per elementa hæc nos abduci patiamur? Circumſtantias ergo omnes tam perſonarum, quam locorum, temporum item, & qualitates omnes abjicite, & mox Baptiſmum verè Chriſtianum & liberum habebitis. Triplex enim hic circa circumſtantias, id eſt, elementa mundi, error verſatur. Primus enim temporis erat, quo Baptiſmum non niſi primo die rectè conſerri poſſe arbitrabantur: Cum temporis ratio non adèò multum momenti hic habeat, modò hoc caveatur ſedulò, ne quis temerè vel negligentem rem hanc diutiùs quam par ſit differat. Facile enim hujusmodi occasione fieri poſſet, ut parvulorum Baptiſmus è medio tolleretur. Alter error circa perſonæ circumſtantiam*

“tiam versabatur, quòd Baptismum à nemine alio, quàm à solo sacerdote, conferri posse putarent, cum interim quisvis hominum hoc facere possit, imò scemina quoque, si quando necessitas sic postulare videatur. Tertio in loci circumstantia non minus, quàm primis istis, errabatur, eo quòd non opus erat infantem in templo tantummodo baptisari. Accessit his quartus quoque nonnullorum error, qui in qualitate quoque Baptismi errantes, aquam in eo benedictam & oleo squalentem requirebant. Hujusmodi circumstantiæ omnes non sunt de ipsa Baptismi essentia, & proinde necessario requiri non possunt; interim tamen ita illis utendum est, ut ad publicam Christianorum & fidelium pacem, mutuamque concordie studium faciant. Tempus à nemine sic differri debet, ut suspicionem aliquam dare possit, quòd infantes suos Baptismi signo nolit inaugurari. Externa enim hæc omnia nobis servire debent, nec nos illis alligatos esse convenit, quemadmodum superius abundè satis demonstratum est. Phil. 3. Templum & ordinarium Ecclesiæ Ministrum omninò adire convenit, si modò nullum hinc infanti oboriri potest periculum, ne ordo Ecclesiæ inturbatus omnia misceat, sed ut infantes quoque novi Ecclesiæ innotescant. Atqui idem hoc charitatis leges postulant, ne forte deterius quiddam hinc exortum universam Baptismi institutionem simul & usum invertat. De aqua nihil simus solliciti. Recens sit hæc, viva & pura, ne avarissimæ Episcoporum turbæ pro incantationibus suis & chrismate tantum precium numerandum sit. Nam Johannem quoque in Jordanis fluvio baptisasse Sacræ Literæ perhibent.

Nolo in Viri hujus laudes digredi. Novi enim invisum vobis nomen. Non tamen prætermittere possum, quin dicam, me vel hinc agnoscere, verum esse elogium, quod Illi in præfatione hujus ipsius Tomi attribuit Gravissimus ex Nostri Theologus Gualtherus; Habuit hoc inter alia dona plusquàm egregia præcipuum & singulare Zwinglius, ut quàm minimum rebus externis, omnem verò salutis summam soli Christo, Regi & Salvatori nostro unico, transcriberet. Huic uni adherens & innitens, non alio quoquam, quàm in cruce Christi sibi gloriandum esse putabat: quin omnia alia pro rejectamentis habebat, ut illum lucrifaceret.

TH. Quid ex his omnibus conficitur?

EUB. Id ipsum quod probandum suscepi; nimirum controversiam, utrum, Privatus etiam Homo aut Mulier in casu necessitatis Baptismum valide conferre possit, non ad questionem de Fide, sed inter problemata de *εὐρωζία*, numerandam esse.

COROLLARIA.

- I. **D**estabilissimum genus Atheismi est Hypocrisis.
- II. Est enim ludificatio Numinis Divini longè sceleratior simplici negatione.
- III. Hinc Deus tertio præcepto singularem indignationis suæ testificationem & pœnæ sanctionem adjecit.
- IV. Signa autem Diagnostica Hypocriseos potissima duo sunt; Discrepantia verborum à factis, & excolatio culicum conjuncta cum Camelorum deglutitione.